

octobri in territorio civitatis Basilee terramota vehementi  
 suscitata tota ipsa civitas Basilea et omnis decor atque pulchri-  
 tudo eiusdem, thesures et membra una cum domibus et edificiis  
 civitatis omnia corruerunt et redacta sunt pariter in ruinam.  
 In confinio insuper civitatis tam in montanis quam in plano  
 castra et fortalicia <sup>1)</sup> mille et oppida plurima eodem terre-  
 motu circa 16 numero ceciderunt.

1355 apr. 5.

Karolus quartus Rome in imperatorem coronatur. Haec  
 Karolus quartus rex Romanorum supradictus defuncto iam  
 Lodovico III. imperatore suo antecessore necnon Lintero comite  
 de Swartzeburck contra ipsum post obitum dicti Lodovici per  
 aliquos principes ad regnum electo<sup>1)</sup> summam rerum sine  
 adversariis adeptus accessit ad partes Romae de regni negotiis  
 tractaturus, ubi in primo suo adventu nonnulli principes  
 accesserunt ad ipsius praesentiam apud Syram civitatem regi-  
 am accesserunt. Inde se transtulit ~~in~~ <sup>in</sup> Maguntiam, ubi  
 pluribus ad suam obedientiam accedentibus natalis domini  
 cum solemnitate conventus principum celebravit. Quo tem-  
 poris intervallo dum obisset Henricus archiepiscopus Magun-  
 tinensis, qui licet per sedem apostolicam dudum depositus forti-  
 manu usque ad obitum suum occupaverat ecclesiam Magun-  
 tinam, dictus Carolus rex compositis adversitatibus Leclacum  
 archiepiscopum per sedem apostolicam prefato Henrico deposito  
 substitutum ad sedem et in possessionem ecclesiae Maguntinae collocavit.

1) fortalicia cod. h) electi cod.